

plurimum huic sententiæ favet; tum etiam propter cavendam hæresim, quæ realem Christi præsentiam solum in usu ponit. Probatur autem primo, quia per consecrationem conficitur sacramentum Eucharistiæ; sed consecratio perfecta est ante usum, et independens ab illo: ergo. Secundo, ex communibus locutionibus de hoc sacramento; dicitur enim esse cibus animæ, sumi a fidelibus, continere corpus Christi, et alia hujusmodi, quæ nullo modo possunt ipsi sumptioni accommodari. Tertio, Eucharistiæ sacramentum a solo presbytero integre conficitur; at vero ad usum applicari potest etiam a diacono; signum ergo est, usum hujus sacramenti nullo modo ad illius constitutionem pertinere. Quarto, hic usus non potest esse pars essentialis, alias ante illum non esset confectum Eucharistiæ sacramentum, quia absque essentiali parte non potest res consistere. Nec vero est pars integralis, quia neque est pars formæ, ut per se constat, nec materiæ, quia Concilia non usum panis aut vini, sed ipsum panem et vinum dicunt esse materiam remotam, ratione substantiæ, seu quatenus sunt materialia elementa; proximam vero, ratione specierum continentium Christum.

5. *Sumptio Eucharistiæ non est per se sacramentum.* — *Prima et secunda ratio.* — *Tertia ratio.* — Dico secundo: hic usus seu sumptio Eucharistiæ non est per se sacramentum ab aliis distinctum. Est communis conclusio, sicut præcedens, quam Major, d. 8, quæst. unica, more Nominalium probat, quia sumptio Eucharistiæ non distinguitur ab Eucharistia; ergo non potest esse distinctum sacramentum. At vero pari modo posset inferre, hunc usum esse sacramentum; falsum ergo assumit, quia usus aliquid addit præter rem, qua utimur, scilicet, aliquem motum, contactum, vel operationem ex natura rei distinctam ab ipsa re, quæ distinctio in aliis sacramentis sufficit, ut ablutio, aut unctio sit sacramentum, v. gr., et non aqua aut chrisma. Aliter ergo probatur, primo illa generali ratione, quia alias sequeretur in rigore esse plura sacramenta, quam septem. Secundo, quia sacramentum novæ legis, quod in usu consistit, habet propriam formam, propriumque effectum ab aliis distinctum, imo et proprium ministrum necessarium de necessitate sacramenti, baptismo solum excepto, propter singularem illius necessitatem; hic vero usus, nec formam habet, nec effectum ab effectu Eucharistiæ distinctum, ut per se constat;

nec requirit certum ministrum de necessitate sacramenti, aut ad effectum præstandum omnino necessarium: ergo. Major patet tum inductione, tum etiam quia sacramenta per proprias formas et sacramentales effectus præcipue distinguuntur. Tertio explicatur hæc ratio, quia promissio gratiæ hujus sacramenti per se non est facta sumptioni, ut causæ per se ejus, sed Eucharistiæ, id est, corpori Christi sub speciebus, sicut ipse dixit: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me*; ipse ergo est, qui per se efficit gratiam, sumptio vero solum est conditio necessaria seu sine qua non; non est ergo sumptio sacramentum, sed id quod sumitur. Unde etiam fit, hunc usum non esse cæremoniam sacram, per se impositam ad significandum, sicut nec ad efficiendum gratiam, quia sicut promissio gratiæ non est per se illi facta, sed Eucharistiæ, consequenter vero redundat, et communicatur sumptioni, ut conditioni sine qua non, ita nec per se primo est instituta ad significandum, sed consequenter etiam participat significationem, magis ex necessaria connexionione, quam ex directa impositione.

6. *Sumptio Eucharistiæ solum est applicatio sacramenti.* — *Discrimen inter usum Eucharistiæ et aliorum sacramentorum.* — Dico ergo tertio: sumptio Eucharistiæ solum est applicatio sacramenti, seu conditio necessaria ut sacramentum operetur. Hæc conclusio sequitur ex dictis, quia suppositis, quæ diximus, nihil aliud esse potest; propria enim et per se actio sacramenti est internum ac spirituale charitatis augmentum; ad hanc vero actionem necesse est, ut homini applicetur, eumque sacramentaliter contingat; hoc autem fit per manducationem, et hoc sensu dixit D. Thom. loco supra citato, usum pertinere ad extrinsecam perfectionem hujus sacramenti, sicut agere spectat ad perfectionem agentis; sub illa enim voce, *agere*, inclusit etiam applicationem agentis ad agendum necessariam. Fundamenta vero aliarum opinionum soluta sunt ex dictis, præterquam ultima confirmatio, in qua fit comparatio inter usum hujus sacramenti et aliorum. Circa quam Ledesma supra existimat, eandem esse rationem de hoc, et de iis sacramentis, quia sicut applicatio Eucharistiæ (inquit) non est Eucharistia, nec per se efficit gratiam, ita nec applicatio baptismi est baptismus, nec per se gratiam confert. Sed in hoc valde deceptus est, quia constat, in baptismo et aliis sacramentis, quæ consistunt in usu, applicationem

sacramenti non distingui ab usu sacramenti. Et ratio est, quia usus rei non potest per alium usum applicari, sicut nec potest actio alia actione fieri, alias oporteret in infinitum procedi. Sic igitur, sicut ablutio est baptismus, ita etiam est applicatio baptismi, id est instrumentalis causa gratiæ. Unde D. Thom. quæst. præcedenti, art. 1, ad 3, constituens differentiam inter hoc et alia sacramenta, dicit, alia perfici in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum; et Concil. Trident., sess. 13, cap. 3, eandem differentiam tractans, inquit, hoc sacramentum perfici ante usum, reliqua vero tunc accipere vim sanctificandi, cum illis utimur. In ipso ergo usu consistit vis et ratio aliorum sacramentorum. Unde ad confirmationem respondetur, negando similitudinem, nam in aliis sacramentis, usus est per se primo institutus ad significandum et sanctificandum; ablutio enim sanctificat, quia per se est ad hoc imposita, non quia ipsa aqua secundum se virtutem aliquam habeat. In usu vero hujus sacramenti sanctificantur fideles, propter virtutem et efficaciam ipsius cibi; unde alia sacramenta per se instituta sunt, ut fiant, hoc vero ut sit et sumatur in cibum, servetur in viaticum, et ut pignus hæreditatis æternæ habeatur; ac denique ut in sacrificium offeratur. Ex quibus concludi potest primo, quid sit Eucharistia, si physice eam describere velimus; est enim vel species consecrata, corpus et sanguinem Christi continentes, vel e contrario est corpus et sanguis Christi, ut contenta sub speciebus consecratis. Vel denique est sacramentalis cibus, ex corpore et sanguine Christi et speciebus constans; quolibet enim horum modorum satis explicatur tota essentia hujus sacramenti, præsertim quoad materiam; indicatur vero forma, quatenus per illam species consecrantur.

7. *Eucharistia supponit pro toto composito ex Christo et speciebus.* — Secundo colligitur ex dictis, pro quo supponat Eucharistia, vel sacramentum Eucharistiæ absolute dictum; quibusdam enim placet ut supponat pro speciebus, connotando corpus contentum. Aliis e contra, ut supponat pro corpore, connotando species continentes; aliis, quibus ego magis assentior, pro toto composito, seu cibo sacramentali et sensibili. Primo, quia ut dixi, hoc est proprie sacramentum Eucharistiæ. Secundo, quia in materia de sacramentis in genere ostendi, quodlibet sacramentum, v. gr., baptismum, supponere pro toto composito,

ad quod significandum est impositum; quamquam in ordine ad formam videatur esse specialis ratio in hoc sacramento, quoad suppositionem; nam quia illius forma est quodammodo extrinseca, et realiter ac physice transit, et non manet, videtur proprie impositum nomen hujus sacramenti, ita, ut juxta communem usum, supponat pro re permanente, connotando formam. Tertio, quia in aliis rebus artificialibus similis modus suppositionis invenitur; domus enim supponit pro toto composito ex fundamentis, parietibus, et tecto, ut ibidem expositum reliquimus. Ad dendum vero est, licet hæc sit propria et rigorosa suppositio, interdum Eucharistiæ nomen accipi pro speciebus ipsis, et sæpius pro corpore Christi, quia hæc omnia participant rationem sacramenti, et sunt ita inter se connexa, ut sub uno facile aliud intelligatur.

8. *Quid sit in Eucharistia res tantum, sacramentum tantum, res ac sacramentum simul.* — Tertio constat facile ex dictis, quid in Eucharistia sit res tantum, sacramentum tantum, res et sacramentum simul. Res enim tantum est effectus, qui in suscipientem efficitur, qui est gratia et charitas, seu unitas corporis Christi mystici; hæc enim omnia idem sunt, ut recte Cajet. notavit, quæst. præced., art. 1; et prius Bonav., d. 8, 2 part., art. 2, q. 4, ad ultimum; est enim proprius effectus hujus sacramenti, quod per modum cibi et convivii institutum est, plures inter se conjungere, eosque unire tam cum ipso cibo, quam cum auctore cibi et convivii, ut latius in sequentibus et præsertim quæst. 79 dicturi sumus. Res et sacramentum simul est corpus Christi, quod est in ipsa materia, in quo differt ab aliis sacramentis, in quibus res et sacramentum semper est in suscipientem; nam licet in sacramento pœnitentiæ, contritio, quæ est res et sacramentum simul, sit in materia, tamen etiam est in suscipientem. Unde intelligitur, quod sicut contritio per se sumpta non est sacramentum, sed ut fit aliquo modo sensibilis per confessionem, ita corpus Christi per se non est sacramentum, sed ut aliquo modo sentiri potest per species; res autem dicitur, quatenus sub illis sacramentaliter continetur et significatur. Sacramentum autem tantum, si præcise sumatur, ita ut rem sacramenti nullo modo includat, sunt solæ species sensibiles; sed hic præcisus conceptus non est de ratione sacramenti, ut in sacramento pœnitentiæ videre licet; id enim quod est sacramentum tantum, essentialiter inclu-

dit contritionem perfectam vel imperfectam, quæ est res et sacramentum simul; quia non includit illam ut rem, seu ut significatam, sed solum ut significantem, seu ut partem integri signi sensibilis; sic igitur in præsentem, sacramentum tantum completum et integrum dici potest Eucharistia, quatenus est panis celestis, et perfectum ad completum gratiæ spiritualis signum.

ARTICULUS I.

Utrum materia hujus sacramenti sit panis et vinum (4, dist. 11, quæst. 2, art. 1, quæst. 1 et 2; et 4 contra, cap. 61 et 68; et 1 Cor. 11, lect. 5, col. 2 et 3).

1. Ad primum sic proceditur. Videtur, quod materia hujus sacramenti non sit panis et vinum. Hoc enim sacramentum perfectius debet representare passionem Christi, quam sacramenta veteris legis. Sed carnes animalium, quæ erant materiæ sacramentorum veteris legis, expressius representant passionem Christi, quam panis et vinum. Ergo materia hujus sacramenti magis debet esse carnes animalium, quam panis et vinum.

2. Præterea, hoc sacramentum est ubique celebrandum. Sed in multis terris non invenitur panis triticeus, et in aliquibus non invenitur vinum; ergo, panis et vinum non sunt convenientes materia hujus sacramenti.

3. Præterea, hoc sacramentum competit sanis et infirmis. Sed vinum nocet quibusdam infirmis. Ergo videtur, quod vinum non debeat esse materia hujus sacramenti.

Sed contra est, quod Alexand. I Papa dicit (in epist. ad omnes orthodox., a med. illius, tom. 2 Concil.): In sacramentorum oblationibus panis tantum, et vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur.

Respondeo dicendum, quod circa materiam hujus sacramenti aliqui multipliciter erraverunt. Quidam enim, qui dicuntur Artotyritæ (ut August. dicit in lib. de Hæresib.) offerunt panem et caseum in hoc sacramento; dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terræ et ovium fuisse celebratas. Alii vero scilicet Cataphrygæ et Pepuziani, de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctationum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farina, panemque inde facientes. Quidam vero, qui dicuntur Aquarii, aquam solam sub specie sobrietatis in hoc sacramento

offerunt. Omnes autem hi errores et similes excluduntur per hoc, quod Christus hoc sacramentum sub specie panis et vini instituit, ut patet Matth. 26. Unde panis et vinum sunt materia convenientes hujusmodi sacramenti. Et hoc rationabiliter. Primo quidem, quantum ad usum hujus sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis et vinum, quibus communiter homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis. Secundo, quantum ad passionem Christi, in qua sanguis est a corpore separatus. Et ideo in hoc sacramento, quod est memoriale Dominicæ passionis, seorsum sumitur panis, ut sacramentum corporis, et vinum, ut sacramentum sanguinis. Tertio, quantum ad effectum considerandum in unoquoque sumendum, quia ut Ambros. dicit super epist. 1 ad Cor. 11 (super illud, hoc poculum novum Testamentum est, tom. 5), hoc sacramentum valet ad tuitionem animæ et corporis. Et ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute animæ offertur, sicut dicitur Levit. 17, quod anima carnis in sanguine est. Quarto quantum ad effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diversis fidelibus, sicut panis conficitur ex diversis granis, et vinum fluit ex diversis uvis, ut dicit Gloss. (ord. August., tract. 26 in Joan., aliquant. ante finem) super illud 1 Cor. 10: Multi unum corpus sumus, etc.

Ad 1 ergo dicendum, quod, licet carnes animalium occisorum expressius representent Christi passionem, tamen minus competunt ad communem usum hujus sacramenti et ad ecclesiasticam unitatem significandam.

Ad 2, dicendum, quod, licet non in omnibus terris nascatur triticum vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad usum hujus sacramenti. Nec propter defectum alterius est unum tantum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum sacramentum.

Ad 3, dicendum, quod vinum in modica quantitate sumptum, non potest multi ægro-tanti nocere. Et tamen, si nocendum timeatur, non est necesse, quod omnes accipientes corpus Christi, etiam accipiant sanguinem, ut infra dicitur (quæst. 80, art. 12).

COMMENTARIUS.

1. Refutatis erroribus affirmat D. Thom. materiam hujus sacramenti esse panem et vinum, quod primo probat ex facto et institutione Christi. Deinde affert optimas conjecturas, nulla tamen expositione indigentes; nam licet fortasse per se singulæ non concludant, omnes tamen simul sumptæ satisfaciunt. Nam prima, quæ assumit materiam communi usui accommodatam fuisse convenientem, quamvis in utraque specie locum habeat, multo magis de pane satisfacit, quam de vino; et ideo adducuntur tertia et quarta ratio, quæ optime ostendunt congruentiam vini potius, quam aquæ, quia est aptius ad significandum sanguinem, et animæ sanctificationem, ac fidelium unitatem. Secunda vero ratio solum probat oportuisse duas species distinctas consecrari, quibus mors Christi, in qua anima a corpore separata est, distinctius significaretur.

2. In solutione ad primum redditur optima ratio, ob quam non decuit sacramentum hoc sub specie alicujus animalis institui, quia non erat materia apta ad usum, neque ad Ecclesiæ unitatem significandam; adde, nec fuisse decentem ad munditiam hujus sacramenti, in quo etiam ostendi oportebat legalia sacrificia cessasse. In solutione ad secundum et tertium gravis indicatur difficultas, an liceat interdum unam speciem sine alia consecrare, de qua statim dicitur.

ARTICULUS II.

Utrum requiratur determinata quantitas panis et vini ad materiam hujus sacramenti (4, dist. 11, quæst. 2, art. 1, quæst. 3).

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod requiratur determinata quantitas panis et vini ad materiam hujus sacramenti. Effectus enim gratiæ non sunt minus ordinati, quam effectus naturæ. Sed sicut dicitur (lib. 2 de Anima, text. 41, tom. 2), omnium natura constantium positus est terminus et ratio magnitudinis et augmenti. Ergo multo magis in hoc sacramento (quod dicitur Eucharistia, id est, bona gratia) requiritur determinata quantitas panis et vini.

2. Præterea, ministris Ecclesiæ non est a Christo data potestas ad ea quæ pertinent ad irrisionem fidei et sacramentorum ejus, secundum illud 2 Cor. 10: Secundum potestatem, quam dedit nobis Deus in ædificationem et non

in destructionem. Sed hoc esset ad irrisionem sacramenti, si sacerdos vellet consecrare totum panem, qui venditur in foro, et totum vinum, quod est in cellario. Ergo hoc facere non potest.

3. Præterea, si aliquis baptizatur in mari, non tota aqua maris sanctificatur per formam illa baptismi; sed solum aqua, qua corpus baptizati abluitur. Ergo nec in sacramento superflua quantitas panis et vini consecrari potest.

Sed contra est, quod multum opponitur paucis et magnum parvo. Sed nulla est ita parva quantitas panis aut vini, quæ non possit consecrari. Ergo etiam nulla est ita magna, quæ consecrari non possit.

Respondeo dicendum, quod quidam dicunt, quod sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis aut vini, puta totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio. Sed hoc non videtur esse verum, quia in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem, sicut materia serræ est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem hujus sacramenti est usus fidelium. Unde oportet, quod quantitas materiæ hujus sacramenti determinetur per comparisonem ad usum fidelium. Non autem potest esse, quod determinetur per comparisonem ad usum fidelium, qui nunc occurrunt; alioquin sacerdos paucos parochianos habens non posset consecrare multas hostias. Unde relinquitur, quod materia hujus sacramenti determinetur per comparisonem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici, quod quantitas materiæ hujus sacramenti sit determinata.

Ad 1 ergo dicendum, quod cujuslibet rei naturalis materia accipit determinatam quantitatem secundum comparisonem ad formam determinatam. Sed numerus fidelium, ad quorum usum ordinatur hoc sacramentum, non est determinatus. Unde non est simile.

Ad 2, dicendum, quod potestas ministrorum Ecclesiæ ad duo ordinatur. Primo quidem ad effectum proprium. Secundo, ad finem effectus; secundum autem non tollit primum. Unde si sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malum finem (puta ut irrideat vel veneficia faciat), propter intentionem mali finis peccat, nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit sacramentum.

Ad 3, dicendum, quod baptismi sacramentum perficitur in usu materiæ, et ideo per formam baptismi non plus de aqua sanctifica-

tur quam quantum venit in usum. Sed hoc sacramentum perficitur in consecratione materiae. Et ideo non est simile.

COMMENTARIUS.

1. Videtur D. Thom. supponere, non requiri certam quantitatem minimam, seu non habere hanc materiam terminum parvitas. Unde in argumento Sed contra, hoc sumit ut certum, et in corpore potissimum agit de magnitudine, seu multitudine materiae, docens nullum habere terminum magnitudinis, sed in quantacumque quantitate, simpliciter loquendo, posse confici hoc sacramentum, quod probat ex fine institutionis, quia haec materia est propter usum, et hic usus non est determinatus, sed potest majorem et minorem quantitatem requirere; ergo nec materia esse debuit determinata. Sed posset aliquis respondere, negando ultimam consequentiam, tum quia per certam aliquam quantitatem materiae posset majori et minori multitudini fidelium satisfieri, singulis majorem vel minorem partem specierum praebendo; tum etiam quia in singulis locis posset certa quantitas limitari, quae multitudini fidelium, quae in tali loco inveniri possit, sufficiat. Respondetur, sacramentum hoc non debere considerari comparatione facta ad numerum fidelium.

qui in uno, vel alio loco existunt, seu existere possunt, hoc enim est accidentarium et extrinsecum; alias si alicubi conficeretur major quantitas, quam ibi posset esse necessaria, non esset valida consecratio, quod erroneum est; debet ergo absolute referri ad fideles, quorum numerus simpliciter indefinitus est; est etiam indifferens portio specierum, quae singulis fidelibus dari potest; denique jure divino non est determinatum, quoties possint fideles hoc sacramento uti, et ideo oportuit quantitatem hujus materiae ex institutione indefinitam esse, quoad magnitudinem.

2. In solutione ad primum non oportet D. Thom. ita exponere, ut asserat omnes res naturales, etiam inanimatas, ex intrinseca sua natura terminari ad maximum; id enim non affirmat, quanquam, quia ad rem non pertinebat, principium illud generale non explicaverit, sed optime responderit, quidquid de illo sit, non esse tamen eandem rationem de sacramento, quod cum res artificialis sit, non ex aliqua naturali forma, sed ex institutione habet proprietates fini suo consentaneas. Adde, in universum verum esse materiam

cujuslibet rei naturalis accipere quantitatem determinatam, per comparisonem ad determinatam formam, quod solum D. Thom. affirmat, sive haec determinatio oriatur ex communi ratione specifica formae, sive aliunde, de quo D. Thom. hic nihil dixit, quia ad disputationem philosophicam pertinet, ex qua constat principium illud Aristotelicum: Omnium natura constantium datus est certus terminus magnitudinis et augmenti, de viventibus proprie intelligendum esse.

3. In solutione ad secundum docet D. Thom. consecrationem hujus materiae factam malo fine ad irrisionem, vel aliquod hujusmodi, esse validam, quia haec intentio non tollit intentionem vere consecrandi, quae doctrina est certissima; sicut certum est malitiam ministri non impedire effectum hujus sacramenti; praedicta enim intentio ad malitiam tantum pertinet, non ad potestatem, vel efficaciam, quae omnia constant ex doctrina tradita de sacramentis in genere. Errat ergo vehementer Angelus, verbo Eucharistia 1, n. 21, qui praedictam D. Thom. assertionem negare audeat.

DISPUTATIO XLIII.

DE MATERIA REMOTA EUCHARISTIAE IN COMMUNI.

Disputatio de Eucharistia. — Quoniam duplex est materia remota hujus sacramenti, tripartita erit de illa disputatio. Primo enim ea, quae utrique materiae communia sunt, disputabimus, postea de singulis dicemus, quod D. Thom. in ordine articulorum hujus quaestionis observavit; nam his duobus articulis docet quae utrique materiae communia sunt; in 3 et 4 de materia panis, in aliis quatuor articulis de materia vini tractat.

SECTIO I.

Utrum panis, et vinum, sint propria materia hujus sacramenti?

1. *Errores circa materiam Eucharistiae.* — In hac re variis modis erratum est. D. Thom. tres refert errores. Primum eorum, qui conficiebant in pane et caseo, ex Epiphani., haer. 49, et ex August., lib. de Haer., c. 28. Secundum, Cataphrygarum, in pane ex farina et sanguine infantis subacto conficientium, Epiphani. supra, et haer. 48, in fin.; August., c. 26 et 27; Damas., haer. 48 et 49. His conjungi possunt Gnostici et Manichaei, quorum errores

propter modestiam D. Thomas hic praetermissis videtur; hi enim in semine humano corpus Christi conficiebant, ut ex Gnosticis refert Epiphani., haer. 26, vel in pane, humano semine consperso, ut de Manichaeis refert Aug., c. 46. Numerari etiam hic possunt Ophitae, qui, ut idem August. refert, c. 47, colubrum aiebant juxta altare, qui per incantationem sacerdotis, sacrificii tempore egrediebatur et panem lambebat, in quo Eucharistia consecrari posset, quod etiam refert Tertul., de Praescript. haereticor., c. 74. Tertia haeresis a D. Thom. relata est Aquariorum, qui non in panis, sed in materia vini errabant, solam aquam ad sacrificium apponendo, ut refert Isidor., lib. 4 Etymolog., c. 5; et Cypr., ep. 63; Clemens Alexand., lib. 2 Pædag., c. 2, circa fin., et lib. 4 Stromatum, ubi hos haereticos appellat, quia ab Ecclesiae regula declinant; Chrys., Homil. 93 in Matth., exponens illa verba, non bibam amodo de hoc genimine vitis, ubi dicit Christum, vino utendo post resurrectionem, eorum perniciosam haeresim destruere voluisse, qui aqua in mysteriis utuntur. Et hanc haeresim tribuit Ebionitis Epiphani., haer. 30, Marcionistis in 42, Taciano et Encratitis in 47; idem Theodoret., lib. 4 Haeretic. fabularum. Manichaeos etiam

neesse est in eodem errore fuisse versatos; vinum enim abominabantur, teste August., lib. 20 contra Faustum, c. 43, et Leone Papa, serm. 4 Quadragesimae, c. 4 et 5. His adjunguntur, qui lac loco vini offerebant, ut refertur in Concil. Bracharensi III, c. 4, vel lac et mel, ut indicatur in Concil. Carthagin. III, c. 24, et damnatur, can. 57 Trullano post sextam synodum. Ac denique qui in sanguine menstruo mulieris conficiebant, ut de Gnosticis refert Epiphanius, haer. 26; sed hi omnes errores nullum habent vel apparens fundamentum, quod dissolvere oporteat.

2. Veritas ergo catholica est, materiam simpliciter necessariam ad conficiendum corpus Domini esse panem, vinum vero ad sanguinem. Est de fide, quae fides colligitur primo ex facto Christi Matth. 26; accipiens enim panem consecravit in illo, et similiter postea accipiens calicem; quod vero in calice illo fuerit vinum, videtur colligi ex verbis, non bibam amodo ex hoc genimine vitis, quae Matth. et Marc. statim post consecrationem calicis referunt, et ita esse dicta de illo calice consecrato, indicat Chrys. supra, et exponit Aug., l. 3 de Consensu Evangelistar., c. 4; Lucas

autem, c. 22, aperte distinguit duos calices, alium communem, qui praecessit in cena legali, et alium consecrationis, et refert illa verba ante consecrationem, unde indicat dicta esse de priori calice, ut exponit Hier. in Matth., Theophyl. et alii in Lucam. Quidquid vero de hoc sit, Ecclesia tamen semper intellexit utrumque calicem fuisse vini, quod praeter contextum Evangelicum, ex ipsa voce calicis colligi potest; significare enim solet in Scriptura sacra vas continens, vel aptum ad continendum vinum, vel e contrario potum vini in vase contentum. Unde Ps. 22: *Calix tuus inebrians quam praeclarus est?* Ex hoc autem facto Christi colligitur necessitas hujus materiae, quia, ut supra ostendimus, in illo facto instituit hoc sacramentum, unde subdit: *Hoc facite.* Et confirmari potest illis locis veteris testamenti, in quibus sub pane et vino hoc sacramentum praefiguratum est, quae supra retuli. Secundo probatur haec veritas ex definitione Conciliorum; praeter tria enim supra citata, habetur in Florent. in decret. Eugenii, et in Lateran. in c. Firmiter; colligitur ex Trident., sess. 13, 24 et 22; et ex c. 23 Trullano post sextam Synodum; et ex Concil. Wormatiensi, c. 4; Altisiodorensi, c. 8; Matisconensi II, cap. 4; et ex c. Cum Marthae, de Celebrat. Missarum, et aliis, quae ha-

bentur de Consecratione, d. 2. Tertio probatur hoc potest ex traditione Ecclesiae, quae ex Patribus supra citatis colligi potest, quibus addi potest Hier. in c. ultim. Amos, circa fin.; Theophyl., Mar. 14; Amb., 4 de Sacram., c. 3, ubi figuram Melchisedech accommodat; August., lib. 20 cont. Faust., c. 3, ubi refert, propter hanc consuetudinem sacrificandi ex pane et vino Gentiles imposuisse Christianis, quod Cererem et Liberum colerent; et huc etiam spectat, quod refert Justin. Martyr, Apolog. 2, circa finem, et Tertull., de Praescriptionibus haereticorum, c. 40, daemone in invidiam hujus mysterii, panem et poculum cum quibusdam incantationibus miscuisse in quibusdam superstitionibus gentilium, quas vocabant Mithrae mysteria. Hanc denique veritatem docent omnes Patres factum Christi, tam super Evangelia, quam super 1 ad Cor. 11.

3. Quarto, quoniam praecipua ratio hujus est Christi instituentis voluntas, adducunt Theologi congruentias, ut videre est in D. Th. hic, et in aliis Doctoribus, d. 9, et consequentibus; Alex. Alens., 4 part., q. 23, memb. 4, art. 1; Gabr., lectio 35 in can. Summa omnium ad tria capita revocatur. Primo enim